



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Anno Christi M.DC.XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

altitudinem quæ prodigiis meruit commendari. Vitâ quæ 85. annorû serie stetit, totâ solitarius & procul à consortio hominû, in deserto loco ac Eremito, cui ab Oliveto nomen, juris Cœnobij S. Martini; sive in alio S. Joannis Baptistæ dicto, crudis duntaxat herbis, & frigida Victitans, summâ patientiâ, quam æstus, fames, frigus fovit, probe piequæ transigit; ibidem quo & internis illustrationum radiis, & non raro externis Angelorum Visitationibus frui meruit. Fratri suo quem Barnabâ Vitæ scriptores nominant, ejusdem Cœnobij Asectæ & in eremo socio, mentis defectum passô fanitatem restituit, sibi que etiam alio nomine, sanctitatis scilicet prærogativa germanum fecit. Vtrumquæ servum Dei, magni apud Deum meriti, ingentis homines inter ob Vitæ sanctimoniam æstimationis extitisse asserit R. P. Petrus Antonius Tornamira, ejusdem Cœnobij Historiographus in Vita V. P. Hieronymi Arminij Capite folio 35. cui, Hieronymo scilicet Zacharias convixit & coætaneus fuit.

Eodem prorsus anno 1626. tertium quoquæ sydus Italiae ereptum, cœlis infertum est Venerabilis Columba Virgo Placentina, suo benè signata nomine columbina simplicitate & puritate, inter Conversas sorores S. P. N. Benedicti à Venerabili Hieronymo (de quo hoc ipso anno) cooprata & ab eodem mirabiliter instructa & cœlis formata insigni prorsus Exemplar omnigenæ virtutis, divinis revelationibus illustrata & cum ipsâ animo verius in cœlis degeret, quàm terris, Cœlites ad se pertrahens, à quibus, uti domestica, frequentius est visitata.

ANNO CHRISTI M. DC. XXIX.

Mortuo meritissimo de Einsidensibus Principe & Abbate Augustino successit communibus omnium votis Vir planè cœlo dignior quàm terris, nunquam sine singulari reverentia nominandus, Illustrissimus & Reverendissimus Placidus Abbas, Archi Martyris Placidi, ut nomen, sic admirandas etiam virtutes complexus totus Virgineus imò Angelicus, è cuius à teneris etiam annis, fronte, oculis, ore, nil nisi cœleste se prodidit, ita ut animos omnium raperet soloque contuitu Numini lucraretur. Fuit in vita omni vere admirabilis, non tantum Helvetiæ univèrsæ sed amplissimi Ordinis, ornamentum sempiternum. Cultor Dei paræ fuit singularis, ab ipsa procul dubio pro suâ in terris Residentiæ singularis Governatore præelectus quàm à Collegis suis, Domesticis Marianis Abbas eligeretur. Ab hac Juvenis etiamnum ad studia Dilingam transmissus, prodigiosè servatus est, cum (ut in flore juventutis florentissima erat

facie) à venere quadem impudentissima hospitio exceptus scelestissime tentatâ ejus pudicitia oclusis undique foribus mirè ereptus est, invocata tutelaris suæ opæ, cum qua erumpere tentaret, spes nulla superesset, nisi in Virginum Virginis subsidio, quo susceptus extra feras & portas repente constitutum se reperit, & divinæ Matri, quas debuit, gratias rependit. Omnia ejus Vitæ rarâ & miranda, narrare hujus loci non est, dictabit eadem quæ ipsum & amavit, & adoptavit, iis, qui sub tutela ejusdem succreverunt, & cum Placido adoleverunt, qui etsi plerique ipsum præcesserint ad Superos, posteris tamen dictaverunt, quæ tanti Principis nomen & gloriam securaræ ætati commendarent.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXIII.

P. D. Zacharias de Capograsis Salernitanus, Vir opinione omnium sanctitatis titulo celebris hoc anno Cœlestium numerum glorioso adventu auxit, ab humilitate, obedientia muta, & ad amussim Regulæ asservata, sed & abstinentiæ laudibus non tam hominibus admirabilis, quàm Cœlitibus commendabilis, inde terras despicit, non aspernando, sed patrocinando gloriosum hunc annum redens suo triumphali ad Cœlos transitu.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXVII.

Augustinus à Neapoli Monachus Castinas à brevitate staturæ Augustinellus cognominatus fuit, multis spiritibus, se ipso major, licet humillimus sensu, qui tamen in oculis Dei non solum sed Superiorum Congregationis magnus, & dignissimus fuit, qui sacris Tyronibus Præficeretur, iis formandis ad amussim Regulæ ipse ad amussim formatissimus, lucrari homines doctus & tamè ineptos reiicere, nullo respectu habito personarum. Ita Cardinalis Baronij Nepotem reiicit, fervore quem non adverterat desiderato, sed non reperto nihil reveritus patruî & patroni Eminentiam. Sic alias penetrare mentium cogitationes, Tyronum maximè, tentatis mirabiliter consilio adfuit, & cum facem Sanctitatis summæque animi demissionis omnibus præferret, inter Tyrones denique non tam ut Magister, sed Tyro omnibus omnia factus, mori voluit, omnibus absolutissimæ demissionis, & profundissimæ Humilitatis exemplar factus, præcognita die obitus & prædictâ familiares sibi edocens de suæ saluationis, & meritum certitudine.

ANNO CHRISTI XXXIX.

Orbi nota terris, cœlo Casinus genuit, quem Meritis, & in Sacra religione susceptis laboribus, Decani titulum & autoritatem,